

Quia ergo, in negotio de quo agimus, pœnitens se gerens sicut diximus facit quod potest, et quod unum potuit, non omisit, nempe urgere confessarium ut adventu suo opituletur, collaturus absolutionem, merito conjectamus Christum, quia benignus ac misericors est, et præstabilis super malitia, ita instituisse hoc sacramentum, ut, salva præsentia sacerdotis ad conferendam formam cujus veritas eam præsentiam exigit, materia iudicii possit ab homine absente subministrari; quia plerumque infirmitas humana non patitur plus fieri. Et alioqui sæpe contingeret pœnitentem, ex parte sua recte dispositum, excidere æterna salute, si nimirum attritus duntaxat de peccatis ob quæ sacerdotem evocari curavit, fraudaretur beneficio absolutionis per sacerdotem jam præsentem impensæ.

Nec lenit istum dolorem, ex secutura vel saltem jure timenda tot animarum clade, merito conceptum, malagma quod adhibet Alvarez prima secundæ, distinctione octogesima, in difficultate attexta, numero quadragesimo nono, dicens, si in tali eventu æger defectu absolutionis damnetur, hoc esse per accidens, et iudicia Dei esse abyssum multam; indeque existere majorem universi pulchritudinem. Et eodem recidit quod ait Franciscus Davila, capite decimo octavo, *sic cantari Deo misericordiam et iudicium, nec sacramenta instituta esse ut in quocumque eventu hominibus medeantur, sed ut prædestinationi præscientiæque divinæ deserviant*. Hæc nego satisfacere et animum sedare. Nam eadem plane ratione abjici posset cura omnium plane exlegum, atque a Deo abalienatorum. Quod enim pereant, est per accidens; et inscrutabili Dei iudicio permittuntur ruere in sempiternum exitium, unde efflorescit splendor divinæ justitiæ, et major mundi pulchritudo, justis contra peccatores positus. Si igitur nihil horum obstat quominus, ex præscripto tot canonum, opitulemur ægris oppressis, qui quod facere poterant præstiterunt, et quod Christus ad confectionem sacramenti poposcit, quantum in ipsis fuit, adhibuerunt. Inconsulto vero facimus, multiplicantes occasiones suscipiendi iudicia Dei tanquam abyssum multam, et cantandi Deo misericordiam et iudicium. Id enim recte habet cum agitur de beneficio singulari quod Deus non tenetur omnibus præbere, et aliquibus negat, sive in

pœnam aliorum peccatorum, sive ut ostendat divitias gratiæ suæ in vasa gloriæ. Quoad ea vero beneficia aliquibus deneganda, quæ Deus voluit omnibus esse in promptu, quale est beneficium expiationis per sacramenta, immerito recurritur ad Dei iudicia inscrutabilia; sed omnino sunt admovenda facientibus quod in se est. Subolet autem fermentum illaudatum, quod dicebatur, *sacramenta esse instituta, non ut in omnibus medeantur homini; sed ut prædestinationi præscientiæque divinæ deserviant*. Hoc sumptum, ut ab adversario sumitur, nempe, instituta esse sacramenta ut aliquando negatione sacramentorum homo pereat, ferri non potest. Sed omnino dicendum est sacramenta esse instituta, quantum est ex Dei et Christi mente, ut medeantur nobis, et eatenus serviant divinæ de nobis providentiæ, quæ tam utilia et divina media providit, ut ii quibus applicarentur salvi fierent. Optat autem Deus et intendit, quantum est ex se, ut omnibus plane egentibus applicentur, dummodo præstent quod ex parte ipsorum exigitur, ut sane fecerunt ii de quibus agimus. Nam ante oppressionem adhibuerunt quod ab iis erat suppeditandum ad susceptionem hujus sacramenti, nempe dolorem exterius insinuatam, saltem in voluntate confitendi, patefacta ante dejectionem de statu mentis, quæ patefactio fuit etiam accusatio sui, sive expressio peccatorum, qualis in eo statu fieri potuit.

Non assero solam voluntatem confitendi præcise sumptam, esse dolorem de peccatis, sufficientem ad compactionem sacramenti pœnitentiæ: hoc enim falsum est, et jure negatur a Suarez tomo quarto, tertia parte, distinctione vigesima, sectione tertia, numero octavo. Tamen ex ea voluntate confitendi exterius expressa, recte præsumitur adjunctus ei voluntati dolor, saltem imperfectus, sive attritio; quia nihil proclivius est quam ut is, qui vult confiteri, simul excudat dolorem de peccatis quæ desiderat exponere. Sicut, quamvis dolere quod quis de peccato suo non doleat, non est actus per se sufficiens ad formandam ex parte pœnitentis confessionem, et consequendam a sacerdote absolutionem, tamen sanctus Bernardus personam sic se habentem voluit absolvi; quia præsumpsit, quamvis præ scrupulo et turbatione mentis, talis persona non putaret se dolere de suis peccatis, revera tamen de iis dolere; quia nihil facilius quam ut is, qui dolet quod de peccatis non doleat, imponat sibi, et imper-

ceptibiliter de eis doleat. Id ipsum ergo præsumitur in peccatore qui, priusquam obmutesceret, expressit confitendi voluntatem. Et idcirco in decretis capite quinto adductis, expressio solius voluntatis confiteadi, dicitur sufficere ad impertiendam absolutionem ei a quo præ ægritudine aliud extorqueri non potest.

## CAPUT VIII.

## AD ARGUMENTA IN CONTRARIUM PROPOSITA CAPITE TERTIO.

Multo æstu magnaue concitatione efferbuit Nugnus, in doctrinam de absolutione præsentis antierius confessi sacerdoti absentis, eo modo quo potuit in extrema necessitate, vocans eam doctrinam, *temerariam, scandalosam, perniciosam, et errori proximam*. Quam verborum illuviem, haud injuria quis in caput ejus refuderit, dicens doctrinam, pro qua Nugnus tam fervide certat, omnibus illis sordibus dehonestari; cum et manifestis Conciliorum atque Pontificum scitis supra adductis repugnet, et possit cedere in magnam animarum perniciem, quandoquidem, negata absolutione, quæ ex sententia tam bene fundata libere conferri poterat, miseri ægri, subito oppressi, æterni exitii periculo exponuntur, si forte contritio perfecta deesset et graves noxæ præjacerent; quo periculo eos eximeret impensa absolutio, supposito quod sint ejus capaces, ut Concilia et Pontifices superius adducti supponunt. Itaque Nugnus, hac sua præcipitatione in gravanda tetris notis aliena doctrina, monstravit quam dedecet virum prudentem, præproperum de aliis iudicium; præsertim si debilibus nitatur argumentis, qualia plane sunt quæ ipse et gregales ejus intorquent in hac causa.

Argumentatur ergo imprimis Nugnus, allegando Concilium Florentinum in *tractatu de Confessione*; attendat lector ad opus novum, nullibi et nunquam hactenus visum, ex Nugni officina nunc primum eusum. Hac sane in re ostendit Nugnus se esse avem oscinem; et quæ ab aliis cantata audivit iterato canere, reipsa se non vidisse nisi alienis oculis Concilium Florentinum. Nullus enim est in eo Concilio tractatus de Confessione. Sed bonus hic Homerus paucas lineas de confessione, instructioni Armenorum insertas ab Eugenio, Concilii præside, vocat *Tractatum de Confessione*. Hoc nemo nisi in eo Concilio

plane sospes dixisset; alioqui enim admitendum æque foret Concilium Florentinum edidisse tractatus singulos de singulis sacramentis; itemque de Purgatorio unum, et de primatu Romani Pontificis alium; ac denique de plerisque aliis fidei capitibus, de quibus informantur Armeni, totidem tractatus emissi essent a Concilio Florentino, quot sunt ea capita. Sed hanc leviculam cespitationem homini, spinas metaphysicas in rebus Theologicis potius quam Concilia conquirere solito, condonemus, intenti duntaxat in argumentum quod ex Concilio Florentino eruit; quia, astipulante Tridentino, tradit formam sacramenti pœnitentiæ contineri verbis, utique proprie dictis, sive ore prolatis. Hoc ultro damus. Sed quid ad rem præsentem inde habetur? Nam forma sacramenti pœnitentiæ continetur absolutione; quam verbis ore fuis conferendam esse per sacerdotem pœnitenti astantem, lubentes admittimus. Et idcirco mutus (ut in altero argumento assumit Nugnus) est incapax ministerii excipiendarum confessionum; nec unquam in Ecclesia ad hoc munus gerendum est adhibitus. Hoc recte statuit Nugnus. Sed de hoc non est controversia hoc loco, cum tantum agatur de expositione peccatorum, habente rationem materiæ respectu iudicii a sacerdote proferendi; quam materiam sufficit exhiberi per signa, sive doloris de peccatis, sive voluntatis confitendi, absque verbis ore fuis, ut patet ex muto, qui si conscientiam mortalis peccati habeat, potest ac debet confiteri, vel per nutus, si satis sint ad peccatorum expositionem, vel per scripturam, etiamsi sola lex Ecclesiastica ad confessionem urgeret, ut asserunt Suarez, tomo quarto, tertia parte, distinctione trigesima sexta, sectione sexta, numero septimo, et Ægidius, disputatione quinta de Pœnit., numero septuagesimo nono. Itaque proposita Nugni argumentatio est plane extra rem; id quod de plerisque aliis argumentationibus ab eo adversatis, est statuendum, ut legenti patebit. Absurde igitur et extra chorum saltando, ex eo quod confessio, sumpta pro toto sacramento pœnitentiæ, dicatur non posse perferri nisi verbis ad pœnitentem præsentem directis (quod valet ratione formæ sive absolutionis), inferendum putavit Nugnus confessionem sumptam pro parte ejusdem sacramenti, se tenente ex parte pœnitentis, hoc est, pro sola expositione peccatorum adhibenda a pœnitente, non posse quoque aliter confici quam

verbis ore fuis, ad sacerdotem præsentem directis. At magna est differentia inter illa duo, ut sæpe supra est demonstratum.

Alia Nugni argumentatio ducitur ex necessaria materiæ et formæ conjunctione, atque præsentia sive indistantia. Sed hoc argumentum nimium quantum enerve est. Non enim, si in physicis materia et forma debent esse indistantes et se contingere, necesse similiter est materiam et formam sacramenti pœnitentiæ, simul et semel, et loco et tempore coexistere, cum fieri possit ut peccator antea et alibi confessus de peccatis nunc hic absolvatur a præsentem sacerdote, qui sit pœnitenti vicinus, aut indistans, etiamsi materia proxima, de qua ferendum est iudicium per absolutionem, hoc est expositio peccatorum dolore formata, saltemque in voluntate confitendi comprehensa, antecesserit, nec physice coexistat sacerdoti; sacramentum enim est artefactum morale, non compositum physicum. Unde sufficit ut inter proximam materiam ejus et formam sit præsentia moralis, dummodo sit vera et physica præsentia inter subjectum remotum formæ, et ipsam formam ejusque auctorem; hoc est, inter pœnitentem, ad quem forma judicialis a sacerdote prolata verbis physicam præsentiam exigentibus dirigenda est, et inter sacerdotem absolventem. Esto enim sententia judicialis in foro humano possit aliter quam voce, ad præsentem reum directa, a iudice eidem præsentem aut indistante proferri, tamen perpetuus Ecclesiæ usus et constans traditio docet Christum, sacramenti pœnitentiæ institutorem in forma iudicii, noluisse hac in re iudicium sacramentale assimilari humano iudicio. Quare argumentum Nugni de necessaria materiæ et formæ indistantia evanescit. Quod si materia sacramenti pœnitentiæ statueretur homo pœnitens, sic quidem verum esset formam et materiam hujus sacramenti debere esse indistantes; non quidem ita ut interveniat contactus physicus, sed ita ut verba absolventis ita dirigantur ad pœnitentem, ut solet fieri in colloquutione amici cum amico, quæ est præsentia aliquatenus physica, sed citra contactum, atque adeo aliquatenus etiam moralis. Ea tamen usurpatio materiæ sacramenti pœnitentiæ, pro subjecto absolutionem recipiente, est plane insolita Conciliis atque Doctoribus, a quibus materia sacramenti ex parte pœnitentis assignatur in ejus actibus internis et externis, circa peccata de quibus fertur a sacerdote iudicium. Quid quod, si ea notio ma-

teriæ sacramenti pœnitentiæ pro subjecto absolutionem recipiente admittatur, neque sic urgeremur argumento fundato in necessaria formæ et materiæ propinquitate, quia admittimus solam absentiam confitentis sive aperiens peccata in eventu summæ necessitatis; non autem absentiam ejusdem recipientis absolutionem, quæ non nisi præsentem impendi potest. Quod autem suam hanc confitentis et absolventis indistantiam, a Clemente VIII esse definitam tanquam necessariam, contendit Nugnus, postea excutiam.

Argumentabatur insuper Nugnus, astipulante Alvarez, ex perpetuo usu Ecclesiæ qui semper tulit ut confessio, id est expositio sacramentalis peccatorum, fiat soli sacerdoti, et quidem secreto; quorum nihil cadit in peccatorum expositionem per litteras vel per internuncium, quibus commissæ confessiones noxarum paterent sacrilegæ evulgationi, cui Christus non est censendus voluisse præbere aditum, sic instituta sacramentali peccatorum expositione, ut posset in absentia fieri. Itaque de expositione illa soli præsentem sacerdoti faciendâ, habetur mandatum divinum, inde a Nugno confirmatum, quod rex Castellæ, Ildephonsus, cognomento *Sapiens*, veterit confessionem per litteras aut internuncium fieri. Miror hanc Nugni argumentationem: *Interdixit rex Castellæ confessionem per litteras aut internuncium; ergo est ea de re mandatum divinum.* At neque reges Castellæ dii sunt, nec leges eorum mandata divina. Imo, mirum est a tanto magistro allegari legem civilem in negotio de sacramenti confectione; cum nihil regibus seratur aut metatur in rebus sacris, cujusmodi maxime sunt sacramenta. Indubitatum igitur esto regem illum, quia sapiens fuit, noluisse in res sacras falcam immittere; quod Facundus, cum Justiniano agens, valide improbat, et merito, ut monstrandum est alio loco. Quod autem revera voluit rex Ildephonsus, nihil incommodat causæ nostræ. Tantum quippe voluit firmare lege sua Ecclesiasticam constitutionem interdicens confessionem, id est integro pœnitentiæ sacramento per internuncium litterasve confectione. At nos tantum agimus de parte sacramenti se tenente ex parte pœnitentis, hoc est de expositione duntaxat peccatorum facta sacerdoti absentem, cum urget gravissima necessitas, rejecta totius sacramenti celebratione inter absentes: quia sacramentum sic sumptum comprehendit absolutionem, quæ dirigenda necessario est ad solum præsentem, se-

que sistentem iudicio confessarii, juxta phrasim Concilii Tridentini, ex qua item argumentabatur adversarius, confundens sæpenumero confessionem sumptam pro toto sacramento, quod inter absentes perfici non potest, cum confessione sumpta pro sola peccatorum expositione, quæ in necessitate potest absentem fieri. Et ex hac confusione nascitur alia, ab adversario item inducta: nempe quod auctores plerosque tanquam nobis adversantes allegat, qui tamen non adversantur, cum negant confessionem per litteras, sumptam pro toto sacramento; aut cum improbant confessionem sumptam pro expositione peccatorum, si absentem fiat extraneam gravissimam. Damus enim et sacramentum totum pœnitentiæ non posse inter absentes perfici; et solam necessitatem summam suffragari expositioni peccatorum factæ absentem per internuncium aut litteras.

Aliud argumentum a Nugno et Alvare insinuat, distincte autem expressum a Diana, post alios ab Alvare adductos, erat, confessionem sumptam pro expositione sacramentali peccatorum esse actum personalem, æque ac absolutionem, ac proinde non posse per alium obiri, sed tantum posse præsentem a præsentem fieri. Ita tamen hoc intelligunt auctores prædicti ut sufficiat, expressionem doloris concepti de peccatis, et voluntatis ea confitendi, quæ est virtualis eorundem expositio, fieri sacerdoti in ægri præsentia, ab iis qui affuerunt cum æger voluntatem suam aperuit. Hujusmodi enim testes, referentes quid æger præstitit et voluerit, supplet ipsius personam, et partes ejus obeunt; quod sufficit ut expositio peccatorum dicatur fieri præsentem. Hæc tamen argumentatio videtur esse hominum difficultate impeditorum, et merito ab Alvare, numero quinquagesimo tertio, repudiatur. Imprimis vero qui sic disserunt, non loquuntur cohærenter. Nam si verum est (ut ipsi contendunt) confessionem, sive expositionem sacramentalem peccatorum esse actum essentialiter personalem, nec posse committi alteri, quomodo admittunt confessionem fieri a testibus, qui sacerdotem præsentem docent quæ fuerit pœnitentis voluntas atque dispositio? Absurde præterea assumitur depositionem testium esse partem sacramenti pœnitentiæ; sic enim sacramentum per vitium ac indispositionem testium vitiaretur. Incongrue item exigitur ut testimonium de ægri dispositione perhibeatur sacerdoti in præsentia ægri; ita ut si in anteriore cubiculo, vel in via, prius-

quam sacerdos domum subeat, testes doceant sacerdotem quæ fuerit ægri dispositio, priusquam statu mentis excideret, nulla sit futura absolutio. At hoc parum apposite deponitur. Quid enim refert quod sacerdos statum ægri addiscat coram ipso ægro extra se constituto, vel procul ab eo, perinde se habente in præsentia et in absentia sacerdotis? Ratio enim ob quam exigitur testimonium, est ut sacerdos non agat cæco modo, sed constet ipsi interfuisse, ex parte pœnitentis, quod necessarium est ad sacramentum consummandum, quando ægro præsentem fuerit. Ad hoc autem est plane impertinens quod æger astet vel procul absit deponentibus testibus, dummodo supponatur remanere semper in eodem statu, ut sane supponimus eum manere. Præterea, in decretis supra adductis, limitatio illa testificationis in ægri præsentia prætermittitur; sed absolute dicitur, si sacerdos, evocatus ad absolvendum ægrum, deprehenderit eum plane jam impotentem sui, debere illum absolvere, intuitu prævia voluntatis confitendi, de qua constat testificatione eorum qui affuerunt. Neque vel in decretis prædictis, vel apud ullum Doctorem antiquum qui hoc punctum versaverit, mentio est testificationis ferendæ in ægri præsentia; sed hæc conditio apposita duntaxat est, cum visa est intercludi omnis alia via conciliandi scita illa Conciliorum et Pontificum, cum nupero Clementis decreto, de quo postea. Itaque verissimum est eatenus sacramentalem expositionem peccatorum esse actum pœnitentis personalem, quatenus ipse est qui confitetur, non autem nuncius, aut tabellarius, vel qui testantur de ejus anteriore voluntate. Sicut interpretis qui interdum adhibetur ut status pœnitentis innotescat confessario, revera non confitetur; sed is qui, quod lingua exotica confessario ignota utatur, ipsum adhibuit. Et similiter procurator qui adhibetur ad contrahendum matrimonium cum absente non contrahit ipse matrimonium; neque enim tradit potestatem in corpus suum, aut eam a muliere accipit; sed omnem operam navat alteri cui est suffectus, ut per ipsum contrahat matrimonium. Idem ergo contingit in eventu proposito, quoad sacramentum pœnitentiæ, interposito nuncio aut teste præteritæ voluntatis. Et quod Alvarez, subvertit hanc matrimonii inter absentes celebrati et pœnitentiæ paritatem, negat sacramentum vere contrahi inter absentes per procuratorem, non est quod nos remoretur;

cum veritas et indissolubilitas matrimonii, per procuratorem vel internuncium celebrati, agnoscat capite finali de Procurator., in 6, et multipliciter astruatur a Sanchez, libro secundo de Matrimoni., disputatione decima prima, numero vigesimo septimo; Basilio Pontico, libro secundo de Matrimoni., capite decimo; Ægidio, tertia parte, disputatione vigesima quarta, dubio secundo; et Hurtado, disputatione tertia de Matrimoni., difficult. decima quinta, qui idem addunt de matrimonio per epistolam contracto. Quin etiam, negare quod matrimonium per procuratorem sit sacramentum, temeritatis damnat Soto in quarto, distinctione vigesima septima, quæstione prima, articulo tertio; et reprobare tale matrimonium, esse novum ac inauditum ait Catharinus, libro quinto contra Cajetanum.

## CAPUT IX.

SIGILLATIM AD ARGUMENTUM EX DECRETO CLEMENTIS VIII CONTRA CONFESIONEM PER LITTERAS VEL INTERNUNCIUM.

Præcipuus aries quem Nugnus ore grandiepeo admovet adversus expressionem sacramentalem peccatorum absenti factam, et quem Alvarez, Coquetius, Davila, et alii nuperi contra doctrinam pro qua hic satagimus sollicite intentant, est decretum Clementis VIII, latum 20 junii 1602, ex quo Nugnus infert, non modo exclusionem et profligationem cujusvis alterius confessionis per litteras et internuncium, sed etiam nominatim ejus quam examinandam præsertim suscepimus, de subito obmutescente, qui prius confessarium evocasset. Ait igitur Nugnus Clementem et expresse et formaliter determinasse, temerarium esse, ac falsum, et scandalosum, asserere quod possit absolvi infirmus jam privatus sensibus, etiamsi prius, dum esset sui compos, vocari curasset sacerdotem, et signis externis suum de peccatis dolorem, et suam de eis confessario exponendis voluntatem expressisset, deque hac ejus voluntate testimonium perhibeant qui affuerant. Hanc enim fore confessionem per internuncium a Clemente damnatam affirmat Nugnus, non absque stomacho in Suarem, tomo quarto, tertia parte, disputatione vigesima prima, sectione quarta, ausum dicere eam esse sententiam communem, cui ipse quoque Suarez adhæret.

Ut huic argumento satisfiat, referendum

imprimis est ipsum Clementis decretum, latum in Congregatione Inquisitionis in monte Quirinali habita, coram ipso Pontifice, anno illo 1602, junii 20. Verba decreti sunt: *Proposita questione, utrum liceat per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, Sanctissimus D. N., auditis votis Patrum Theologorum, et re cum Illustrissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet, licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit; præcepitque ne deinceps ista propositio in publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Subdit mulctam excommunicationis lætæ sententiæ ipso facto incurrendæ, et soli ipsi Pontifici extra mortis articulum reservatæ, aliarumque pœnarum pro arbitrio infligendarum in eos qui secus fecerint. Observat porro Nugnus circa hoc decretum, ex eo haberi quod, quanquam Pontifex doctrinam illam, quam damnat, vocaverit dumtaxat *falsam, temerariam, scandalosam, et in nullo eventu probabilem*, possit tamen adhuc tetricioribus notis inuri, cum in decreto dicatur eam doctrinam *ad minus* notari ut talem. Nam, eo ipso quod esse *ad minus* talis affirmatur, insinuat plus tali sub eo ulcere premi, quod alia severiore censura educi queat. Addit item Nugnus ex hoc decreto haberi, doctrinam, in eo damnatam, nunquam fuisse probabilem, et semper habitam esse in Dei Ecclesia temerariam; perstringitque Suarem eo quod, tomo quarto, tertia parte, distinctione decima nona, sectione tertia, scripserit, sententiam a Pontifice damnatam, ante damnationem fuisse probabilem. Et quanquam Suarez aliquos auctores Clemente anteriores pro ea sententia adducat, et aliquas rationes quas putat potuisse illi tunc temporis probabilitatem conciliare, nihilominus contendit Nugnus defuisse semper probabilitatem illi sententiæ; quia neque auctores, qui pro ea adducuntur, loquuntur aperte; neque rationes, quibus eadem sententia fulcitur, sunt revera idoneæ; imo, ne probabiles quidem sunt, et nullo prorsus veritatis colore obducuntur. Sic sta-

tuit Nugnus de omni plane confessione per litteras vel internuncium, comprehenso eventu de quo S. Leo, in quo sacerdos evocatus ad audiendum moribundum jam de nullo peccato confitentem, nec exterius per signa coram ipso sacerdote dolentem, ob præclusum loquelæ vel etiam rationis usum, impendat tali ægro absolutionem.

Liquet magnam esse Nugni concitationem in sententiam propositam; quandoquidem eam, quoad omnes modos quibus proponi potest, etiam quoad eum qui a S. Leone et a Conciliis supra adductis decisus est, negat unquam fuisse probabilem. Cæciverunt ergo tam multi Doctores qui ei sententiæ, quoad varios modos in quibus potest habere locum, adhæserunt ante Clementem, ac etiam post eum, in sensu quem infra exponam. Et nominatim in modo deducendæ eam sententiam ad praxim, circa quem est responsum S. Leonis, cœcutivit ipse S. Leo, tradens ex cathedra (nam ex calce epistolæ constat non fuisse responsum privatum) doctrinam circa ægros subito obmutescentes servandam, quæ ne probabilis quidem unquam fuerit, et nullo prorsus verisimilitudinis colore obducatur. Nam Conciliorum Carthaginensis et Arausicani, idem quod S. Leo tradidit statutum, minor erit cura Nugno, qui perspectum habeat Concilia provincialia (cujusmodi illa fuerunt) errare posse. Ut tamen non urgeam an illa Concilia fuerint a Pontifice confirmata, in quo eventu facerent certam fidem, incredibile videtur plerosque sapientissimos Episcopos, qui illis Conciliis interfuerunt, adeo exoculatos fuisse ut sententiæ alicui inhæserint, eamque in publica praxi Ecclesiæ esse voluerunt, nulla ac ne probabili quidem ratione permoti. Ac ne S. Hilarii Arelatensis, qui Concilio I Arausicano præfuit, sapientiam insignem urgeam, qua fronte Nugnus de duobus Conciliis Carthaginensibus, quibus S. Augustinus subscripsit, asserere audebit ea ne probabilem quidem habuisse rationem statuendi quod ex illis retulimus, de absolvendo sacramentaliter eo qui subito obmutuisset, si qui aderant, de ejus prævia voluntate confitendi testimonium ferant. Itaque nullo modo probabile, sed plane reprobum habendum est quod effutivit Nugnus, de nulla unquam probabilitate doctrinæ, quam vult a Clemente VIII damnatam, comprehenso eventu illo de obmutescentibus subito, post expressam confitendi voluntatem. Et quamvis daremus eam doctrinam, quoad omnes

modos quibus proponi potest, fuisse a Clemente damnatam, nihil tamen vetaret potuisse modos illos dicendi, omnes, aut aliquos, ante damnationem asseri cum probabilitate. Multa enim, affusa majori luce, improbantur sequentibus temporibus, quæ prius poterant videri probabilia, eo quod viris doctis probarentur, nec deesset rationis verisimilis tectorium, et tamen reipsa sorderent falsitate. Variis exemplis hoc illustrat Gillius, lib. 1, cap. 13, numero 2, v. g., olim erat sub opinione an habitus gratiæ infunderetur parvulis in baptismo; nec Concilium Viennense, ut habetur c. *Majores*, de baptismo, sententiam id affirmantem approbavit, nisi ut probabiliorum. Nunc autem post Tridentinum, sess. 6, can. 11, contraria sententia, quæ prius erat probabilis, spoliata est omni probabilitate, quia in hæresim transit. Similiter graves quidam Doctores confirmationem et unctionem extremam per Apostolos institutas dixerunt, non absque probabilitate, qua ea sententia nunc caret, quia Concilium Tridentinum contrarium definivit. Potuit ergo doctrina a Clemente damnata esse probabilis ante eam damnationem. Quod autem Nugnus, in eadem doctrina, quam præterdit a Clemente damnatam, plus veneni latere vult quam notæ a Pontifice inustæ ferant, ex abundantia concitationis dictum est. Nam illa verba decreti, *ad minus*, non sonant plus vitii introrsum latere: sed quod istud expresse signatum subsit, negari non posse; sive plus mali reipsa lateat, sive non lateat.

Hæc prolusione ad argumenti propositi enodationem præmissa, subjiciendum est quid Suarez respondeat ad argumentum propositum, ductum ex decreto Clementis. Ait ergo Suarez decretum Clementis ferire dumtaxat copulatum ex duplici membro, quod copulatum complectitur absolutionem absentis; ita ut non damnatur divisim utrumque membrum propositionis ibi rejectæ, sed dumtaxat totum complexum, quod ratione unius sui membri potest sordere falsitate, quantumvis seorsim alterum illorum membrorum possit nitere et labe vacare. Nam cum Marci 10 dicitur: *Qui dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, adulterium committit super eam*, certum est dimissionem uxoris justa de causa non damnari adulterii; sed tantum quod altera ducatur, super quam verum est committi adulterium. Similiter hæc propositio: *Homo est animal rationale, et habet sibi*